Q. D. B. V.

DISSERTATIO INAUGURALIS

DE

JURE AGGRATIANDI.

QUAM

SUB AUSPICIO DIVINO

EX DECRETO

MAGNIFICI ET AMPLISSIMI JCTORUM ORDINIS IN JLLUSTRI UNIVERSITATE ARGENTORATENSIUM

AD

CONSEQVENDOS SVMMOS IN VTROQVE IVRE HONORES AC PRIVILEGIA


DOCTORALIA.

PUBLICO AC SOLENNI EXAMINI SUBIICIT.

JOHANNES GEORGIUS Graff/

Solmensis.

Ad Diem 12. Octobris horis lq; consuetis.



ARGENTORATI,

Literis JOHANNIS WILHELMI TIDEMANN.

ANNO M. DC. LXVIII.

Digitized by Google





ILLUSTRISSIMIS COMITIBUS AC DOMINIS, DOMINO

JOHANNI
JOHANNI LUDOVICO
GUSTAPHO ADOLPHO
WALRADO
FRIDERICO.

Patruis, Fratribus Germanis, ac Patruelibus.

COMITIBUS NASSOVIÆ, SARÆPONTI, ET SARÆWERDÆ, DOMINIS IN Lahr / Wißbaden *ET* Itzstein / *&c. &c.*

Omnibus feliciter hoc tempore regnantibus.

Dominis meis Clementißimis.

DIssertationi huic graduali *Illustrißimi Comites*, ut faveatis, eoque favore viam clementiæ gratiæque ex innata

illuſtri humanitate autori aperiatis, facile poteritis exorari; Spirat enim ea nil niſi gratiam, qua afflictiſſimæ quæque perſonæ, velut dura horrendâque lege percuſſæ, reſuſcitari ſolent. Hinc ego (ſi forte in virtutes veſtras audaci hoc conatu peccavero,) veſtrâ fretus gratiâ, eam in fidiſſimæ ſubjectionis obedientiæque argumentũ, ad Clementiæ Veſtræ projectus pedes, deponere auſus fui. Suſcipite propterea *Illuſtriſsimi Comites*, hoc quicquid eſt muneris, eique ultimum ſaltem benevolentiæ Veſtræ concedite locum. Meum erit pro *Illuſtri familia* imas fundere preces, quo *Vobis* ſuperſtitibus, & ea longe fauſta ſupereſſe queat. Tu Deus exaudi Votum, & Munera benigne nobis commodata, conſerva.

Ita vovet

Illuſtriſs. V V. Celſitudd.

Subjectiſsimus Servus

JOHANNES-GEORGIUS Graff.

DISSERTATIONIS
De
JURE AGGRATIANDI.
Præfatio.

CLementiam Principis in Sacris pariter ac profanis legibus adeò commendatam legimus. prov. cap. 29. v. 27. l. ult C. de donat. inter vir. & uxor. l. 23. pr. C. de Nupt. Nov. 136. princ. *Ut ex iis non ita difficile sit Colligere, eam maxime esse è Re Reipub. Clementia enim non tantum honestiores sed & tutiores præstat Principes, Ornamentumque Imperiorum est simul & certissima salus.* Senec. lib. 1. c. 11. *& Firmissimum Imperium quo obedientes gaudent* liv. lib 8. c. 13. in fin. *Cujus clementiæ species est non infima Aggratiatio Reorum, quam ex recepta jam longissima Consuetudine Principes laudabiliter sibi vindicarunt, in memoriam sibi revocantes illud, quod* Cicer. orat. pro ligar. in fin. ait: *Nulla re homines propius ad Deos accedere quam salute hominibus danda. Hinc illud Poëtæ.*

Pulchrum eminere est inter illustres viros
Consulere patriæ, parcere afflictis, fera
Cæde abstinere, tempus atque iræ dare.

Senec. octav. act. 2. sc. 2.

Et ait idem Senec. 1. de clem. 24. *Sicut Medico indecora multa vulnera, ita Principi ac Magistratui multa supplicia*

 ignomini

ignominiosa sunt. De quo jure in præsentiarum loco Dissertationis Inauguralis aliquid pro ingenij modulo differere mecum constitui. Præsertim cum nuperrime exantlatis Vtriusque Iuris examinibus, de quocunque juris articulo, ab Amplissima hac Facultate juridica disputandi licentia mihi concessa sit. Non quod velim aggredi rem novam, sed vel traditis Dd. si nihil addere, saltem iis quantum fieri potest, aliquam adferre lucem. Quicquid igitur laudis vel vituperij hoc habeat negotium, Tu lector benevole, *si placet, ei fave. Te Deum, Cui Omnia mea debeo, huic meo proposito gratia Tua adesse ut velis, supplici desiderio veneror atque exoro.*

THESIS I.

VT inoffenso pede progrediamur, de vocabuli significatione pauca præferre operæ pretium erit, verbum *Aggratiandi* illatinum potius esse quàm juridicum, (*id est quod non reperiatur in SS. Corpore*) & latinis autoribus approbatum, ex ipsius sono judicare libet, cujus ætymologiam hic diu morari supervacuum erit: Placuit tamen Criminalistis eo communiter uti, ùt ubique apud Doctissimos viros usitatissimum reperitur, Habet enim sua quæque scientia vocabula, nec cum vulgo loqui obest, imò utile interdum judicatur uti tali nomine, ex quo res postea commelius innotescat, ut est *arg. l. 56. ff. de A. R. D.* Hinc & veteres JCti aliquando usi sunt verbis non admodum propriis & receptis à probatis scriptoribus, ut; Certiorare, meliorare, certificare, certificatio, specificatio, & alia multa, de quibus *Tiraquell. de utr. Retr. in præfat. n.* 34.

II. Quicquid sit, habet tamen in jure nostro Civil. Aggratiationis vocabulum sua synonyma, & idem signifi-

significat ac in jure Indulgentia, §.6. *Inst. de I. N. G. & C. l.* 1. *ff. de const. princ.* §.1. *Inst quib. mod. jus patriæ pot. Toll.* Interdum vocari solet condonatio, seu impunitas delictorum. *l.* 51. *ff. ad leg. aquil.* Item pœnæ remissio, mitigatio pœnarum, venia delicti, Impunitas facinoris, *l.* 5. *ff. de pœn.* Relaxatio pœnæ. *l.* 31. *ff. eod.* In jure feudali dicitur, gratiam facere 2. *feud.* 32. quo collimat vernacula nostra: Genadebewisung / begnädigung der Maleficanten. *Besold. in thes. pract. hoc verbo.*

III. Juris hujus origo licet certò non constet, longissimâ tamen observantiâ nititur, quod vel ex ipsa Sacra Scriptura colligitur, in passione Christi; unde patet moris fuisse apud judæos, ut judex politicus ad Instantiã populi quotannis in festo paschatis facinorosum, qui morte mulctari meruerat, quempiam, ab ipso populo electum, dimittere & relaxare debuerit; Hinc Pilati, Christum, utpote innocentem & prorsus innoxium, liberare cupientis, verba, per modum consilii prolata: Vultis ut pro consuetudine vestra eum Vobis dimittam: *Matth.* 27. *vers.* 15. 7. & 9. *Luc.* 23. *v.* 17. *Ioh.* 18. *v. pen.* Ex quibus locis non obscure præsumi potest, morem hunc ab observatione Anni Jubilæi Populi Israelitici descendere, *Deut.* 15. & not. *Casp. Sibel. oper. Theol. tom.* 3. *in passione Christi, & Wisenbach. not. nomic. Philolog. in passione Christi vers.* 15. *in fin.* Judæos hac recepta consuetudine in memoriam sibi revocare voluisse liberationem majorum suorum ex diuturna servitute Ægyptiaca, Hanc tamen consuetudinem irrationabilem fuisse tradunt supra citati autores; Apud Romanos idem obtinuisse constat *ex Plutarch. in Numa tom.* 1. *oper. num.* 119. Hodie apud nos Rei in festis solennibus non relaxantur, & sic non servatur in praxi. *l.* 3. *C. de Episc. audient.* In Italia ta-

lia tamen adhuc servari, testis est *Clar*. §. *fin. quæst*. 46. *Menoch*. 2. *A. I.* Q.303. *num* 38.

IV. Præterea jus hoc Aggratiandi utilitate sua non destituitur, non parum enim juvat Remp. Clementia Principis, (prout in privat. dict.) Nec sua destituitur justitiâ, licitéque, præsuppositis tamen terminis habilibus, exerceri potest; Quod vel inde probatur. Quia etiam judex potestatem & arbitrium habet pœnam legitimam remittendi vel mitigandi, & quidem ex hac probatione manifesta: Committuntur enim delicta diversis qualitatibus & circumstantiis, ex quibus crimen ipsum quandoque fit excusabile, quandoque autem magis atrox & odiosum *l*. 4. *C. ad leg. jul. de Adult*. quas Circumstantias & qualitates cum lex ipsa exprimere non potuerit, sed quasdam tantummodo definierit, rectissime judici hanc facultatem & arbitrium dedit, ut secundum facti contingentiam pœnas ex arbitrio minuere vel mutare, quandoque etiam augere queat, ne scilicet gravior vel mitior pœna quam par est irrogetur, sed justa ratione delicto commensuretur, illiusque qualitati debita proportione correspondeat. *l*. 22. *C. de pæn. l*. 11. *ff. eod.*

V. Adjuvant hanc sententiam expressi juris textus, sic disertis eam comprobant verbis *Vlp. in l*. 13. *ff. de pæn.* Martianus in *l*. 11. *ff. eod.* Impp. Severus & Anton. *in l*. 3. *C. ex quibus caus. infam. l*. 13. §. 7. *de re Militar*. Ex quibus omnibus justa de causa rigorem legis in decernenda pœna temperare licere, haud obscure colligi potest, quibus adde P. H. O. *Carol. V. art*. 159. *verb.* Oder sonsten / nach gelegenheit der Person / vnd ermeßigung deß Richters / in andere wege gestrafft werden. Artic. 167. Der ist nach gelegenheit der sachen nach Rath der Rechtsgelähr-

gelährten zu straffen/ *add. Mynſ. cent.2. obſ.30. Didac. Covarr. lib. 2. var.reſol.cap. 9. num. 8. Gail. de P. P. lib. 2. c. 9. num. 22. Dn. Struv. Syntag. Iur. Civ. exercit. 1. th. 29.30. & ſeqq.* Contrariæ tamen opinionis, pœnam nimirum jure determinatam nullatenus vel remiſſione, vel diminutione tolli vel mutari poſſe, multi reperiuntur: quorum fundamentum poſitum in *l. 95. §. 7. ff. de ſolut. l. 51. ad leg. Aquil. l. 32. ff. de pœn. l. 33. ff. de re jud. l. 1. C. ad leg. jul. repet. Cap. ut Clericorum extr. de vit. & honeſt. Cler. &* multis aliis: Quorum argumentis eleganter ſatisfacit Dn. Carpzov. prax. Crim. *quæſt.* 147. *part. 3. per tot.* quapropter in iis reſolvendis hic diu morari non eſt neceſſarium.

VI: Hiſce neceſſariò præmiſſis, libet nunc ad ipſam definitionem accedere, de qua hac theſi quoque erimus ſoliciti, poteſt ea noſtro judicio talis eſſe: Jus Aggratiandi, eſt juſta ordinariæ ſive expreſſæ in legibus definitæ pœnæ, ob veram quandam rationem, ab abſoluta poteſtate, per remiſſionem gratuito facta derogatio. *Sebaſt. Alers Tract. ſing. pag.* 18. dicimus, *derogatio*, quæ generis loco eſt, videtur enim derogare ei, quod leges expreſſe aliâs volunt & conſtituunt: dicimus *gratuitò.* Coactus enim & accepto pretio Veniam concedens, non vera denominari poteſt venia.

VII. Dividimus hanc Aggratiationem ratione finis & intentionis, in plenam & minus plenam: illam dicimus, ſi pœna LL. ſtatuta plane remittitur, qua impetrata, reus ita liber fit ac ſi nunquam peccaſſet, & vocari poteſt *Remiſſio, venia*, Hanc, ubi mitigatio

aliqua vel etiam pœnæ transmutatio non tamen planè remissio conceditur, & dicitur, *mitigatio. add: th: 2.*

VIII. Utraque aggratiationis species competit ratione absolutæ potestatis, prout in defin. dictum, propriè soli Principi supremo, ut Symbolum & character Regiæ summæque præeminentiæ, *l. 4. l. 27. ff. de pœn. l 1. §. 10 ff. de postul. l. 7. C. de prec. Imp. offer. l. 12. C. de sentent. pass.* Quo sensu Principibus, Comitibus, aliisque superiorem recognoscentibus jus hoc denegatur, prout docet Peregrin. *de jur. fisc. lib: 4: cap. 4. & c. 8. num: 19. & seq.* Soli ergò dum Principi jus Aggratiandi adscribimus, rectissime illud inter Regalia seu jura Majestatis referimus, juxta communem & veriorem Dd. opinionem: Sixtin: *de Regal. lib. 1. cap. 2. num. 16.* Carpzov. *pract. Crim. part. 3. quæst. 150. num. 14.* & egregium quoddam Regale ac præcipuum caput Majestatis vocatur à Bodino *lib. 1 de Rep. cap. 10.*

IX. De qua supremi Principis Majestate cum hodie in nostro Imperio Principes inferiores, Duces & Comites participent, & Regalia vigore juris territorialis, de quo ab Imperat. investiti, teneant, (eò namque hodie res devenit, ut Jlli qui habent jura superioritatis, plerumque etiam Regaliorum sint Domini, ut ex usu hodierno Germaniæ eadem permisceantur, Matth. Steph. *de jurisd. lib. 2. pag. 1. cap. 2. num. 202.*) Jisdem quoque jus remittendi pœnas jure territoriali, & ex analoga quadam cum Imperatore Majestate, competit, ac proinde eos non minus ac Ipsum Imperatorem Reis veniam pœnæ largiri posse certum est, Bodin. *de Rep. lib. 1. cap. 10. n. 264. & seq.* Dn. Carpzov. *d. l. n. 21. & ad legem Reg. German. cap. 9. sect. 11. n. 24.* Dn. Struv. Exerc. Feud. 6. *aphor. 14. num. 2. R. I. de anno 1526.* §. Und wie wohl 6. & §. 8.

§. 8. Es soll auch. Dn. Limnæus de J. P. *lib.* 4. *tom.* 1. *cap.* 8. *num.* 26.

X. Nec excluduntur ab hoc jure Barones, Liberæ Imperii Civitates, ut reliqui Status Imperii, æquali cum superioribus jure fruentes: sicut nec Nobiles, modo habeant jurisdictionem, ut vocant, superiorem, deque ea in specie cum Regalibus sint investiti: Ei enim, qui in genere cum jurisdictione, **Mit den Gerichten**/ est investitus, non simul intelligitur concessa jurisdictio superior, **die Obergerichte / Halßgerichte** / nec proinde Jus Aggratiandi ei concessum videtur; Licet enim jurisdictionis appellatio præsertim secundum usum hodiernum videatur esse generalis, quia tamen singularis illa species, jurisdictionis sc. Criminalis, ob magis graves & arduas, quas continet causas, specialem requirit concessionem, Ideo jurisdictionis appellatione in dubio solum videtur concessa inferior. Dn. Carpz. *Disp. feud.* 4. *th.* 24. Dn. Struv. Synt. Jur. Feud. *cap.* 6. *aph.* 18. *num.* 4.

XI. Et hoc, si Principum, Ducum vel Comitum, &c. subditi in eorum territoriis delinquunt, tunc enim quilibet vigore jurisdictionis pœnam remittere vel minuere potest; Secus si status aliquis Imperio immediatè subjectus delinquat, quo in casu quemadmodum coram Imperatore conveniendus est, sive in suo, sive in alieno delinquat territorio, Ummius *Disp.* 4. *ad proc. jud. direct. th.* 2. *num.* 9. ita & ab Imperatore tantum Aggratiationem expectare debet, sine concurrentia aliorum Statuum, Dn. Limnæus *tom.* 1. *lib.* 4. *cap.* 8. *num.* 103. *& seqq.* Secus est in Bannitis, quibus cum Imperator solus bannum indicere non possit, sed conjunctim demum cum consensu Electorum eorum scil. qui

de Crimine non participant, Capit. Ferdin. III. *artic.*30. ibi: Und ohne Vorwissen / Raht und Verwilligung deß H. Reichs Churfürsten / welche sich deß wercks nicht theilhafftig gemacht &c. Nec eos sine horum consensu absolvere potest, quod à contrario horum verborum sensu argumētari licet. Cujus juris enim est actus ejus quoque sit distractus. add. Dn. D. Schütz. in Jur. Publ. & eodem modo quid solvitur quo constitutum est *arg.* § 1. *Inst. quibus modis toll. oblig. add.* Gail. de pp. *cap. XVIII.*

XII. Vacante S. Imperio quod videl. morte Imperatoris, aliove quovis legitimo, impedimento, imò tunc etiam fieri consuevit, quando peregre Imperat. abierit, nullo post se mandatario relicto, Vicarii eo funguntur officio, & quia tum temporis tantum possunt, quantum Ipse Imperator, Dn. D. Schütz. de Vicar. *th.* 12. & *l.* 2. *C. de offic. ej. qui. Vic. al: jud.* Ideò his quoque Jus Aggratiandi competere asserimus; Generaliter enim verum est, in non prohibitis potestatem illorum cum Imperatoria eandem esse, & Imperatoris personam repræsentare eos, Braudl. *lib.* 3. *c.* 3. §. 11. & 15. Dan. Otto *c.* 16. Quorum jura in A. B. *tit.* 5. partim expressa sunt, non expressa verò ex Generali Vicariæ potestatis concessione hauriri oportet, & solent duo illi in A. B. exceptionis loco expressi casus, confirmare Regulam in casibus non exceptis Dn. Schütz *d. l.* Diff. Dn. Limnæus in Jur. Publ. *lib.* 3. *c.* 12. *n.* 80. qui speciale ad hoc mandatum desiderat.

XIII. Quæ in præcedentibus de Statibus Imperii ejusque Vicariis dicta sunt, ea quoque ad Episcopos utpote Principes Imperii potestate omnigena pollentes accommodantur, solent enim Hi, quam primum ad talem dignitatem per electionem Capituli evehuntur, de Regalibus, privilegiis & beneficiis, instar reliquorum

Princi-

Principum secularium, in bonis quæ ab Imperatore & Imperio habent, investiri. Idem dicendum de Collegiis Canonicorum liberis. **Von den freyen Kayserlichen hohen Stifften**/ de quibus, vid. Gail. *Obs* 30. *num.* 9. Pontificis verò potestas quousque in hoc casu se extendat, facile cognoverit, qui, quàm minimam ille extra territorium suum habet potestatem, non ignorat. Quo jure ex concesso ipsis privilegio Cardinales hodie quoque gaudere refert Limn. de 1. p. *tom.* 1. *lib.* 4. *c.* 8. *n.* 273. ut si obviam fiant illi, qui ad suppliciū ducitur, impositione pilei sui, immunem à constituta pœna faciant, Unde ex Cœpolla & aliis cautelæ loco tradit **Oldekop.** obs. Crim. *tit.* 5. *obs.* 4. *pr.* Quando Criminosus ad supplicium ducitur, curari debere per ejus amicos vel cognatos, ut illud fiat, unde transitus est alicujus Cardinalis. Quale tamen privilegium, nisi modus observetur secundum th. 17 atro notamus carbone.

XIV. Lubet hic occasione thesis proximæ cum præcedentibus, quamvis non nihil extra ordinem, hanc subjicere quæstionem: An Judex Ecclesiasticus (etiam in delictis communis fori) imponendo pœnitentiam, **Kirchenbuß** / vel Criminosum publicum ab ipsa absolvendo, eique gratiam concedendo, Judici Seculari quoad pœnam politicam vel Jus Aggratiandi præjudicet? Quod negandum; cum utriusque Magistratus jurisdictio violata ac offensa sit, utrique quoq; pro qualitate ac modo jurisdictionis pœnam vel imponere, vel remittere liberum erit; Nec præventio in uno foro facta, impedit, quo minus postea Reus etiam ad alterum puniendus vel remittendus, trahi possit. Caspar Leipold. *de concurr. jurisd. quæst. ult.* Tendunt enim duplicatæ hæ pœnę ad diversos effectus, Spiritualis ut animæ,

Secularis ut Reip. consulatur. Hinc absolutum in foro pœnitentiali, sive conscientiæ, posse de eodem delicto accusari in foro contentioso, cum per pœnitentiam quis non desinat esse nocens *l.* 17. §. 1. *ff. de ædil. Edict.* & quamvis Gail. *lib.* 2. *de PP. cap.* 11. *n.* 27. quoad tollendam pœnam politicam distinguat, utrum Sacerdotalis pœnitentia fuerit publica vel privata: ut per istam illa simul tollatur, non verò per hanc, usus tamen indistinctè contrarium observat. Panorm. *in cap. de his de accus. & c. tua n.* 5. *de procur.*

XV. Inferiorum judicum ac Magistratuum longe alia est ratio, hi enim judicata mutare nequeunt, *l.* 55 *ff. de Re jud.* Sed potius pronuntiata sapientium sequi & pœnas executioni mandare tenentur, **P. H. O.** *art.* 160. §. **Und dieweil.** Finckelthaus *obs.* 49. *n.* 8. Facti quidem quæstio in arbitrio est judicantis, pœnæ autem persecutio legis autoritati reservatur, *l.* 1. §. 4. *C. ad SCtum. Turpill. l.* 8. §. 2. *c. ad leg. jul. de vi. publ.* accedit quod Jus Aggratiandi Regalibus annumeretur, Sixtin. *de Regal. lib.* 1. *c.* 2. *n.* 7. quibus utique Magistratus Inferiores destituuntur. Menoch. A. I. Q. *lib.* 1. *quæst.* 96. Dn. Carpz. *d. q.* 150. *n.* 49. Ex quibus quæstionem illam, An Judex impunitatem Reo permittere, & promissam servare possit? negativè decidimus: Promisit enim id, cujus præstatio in ejus potestate non consistit, cum judicare debeat, & coërcere delicta, non veniam eorundẽ concedere. Treutl. vol. 1. D. 6. *th.* 2. *lit. a.* ubi Bach. addit judicem talem impunitatem promittendo non rectè agere, neque probandam Cautelam hanc, ut eo modo confessio Rei eliciatur, cui aliâs minus tribuendum videtur, quod non tam conscientia, quàm promissionis fiducia, ut carcere quam primũ liberetur, confessus præ-

sumi

ſumi poteſt. vid Bronch. ad Reg. Jur. *in l.* 6. qui contrarium defendit. Gothofr. ad. d. l.

XVI. Quid tamen ſi Magiſtratus merum ſolummodo habeat Imperium? Et Huic quoq; jus hoc denegatum volunt, hinc Nobiles aut Magiſtratus oppidanos abſque ſpeciali venia & conceſſione ſuperioris, Reis gratiam facere, & pœnam mortis ſeveriorem mitigare, atque gladii ſupplicium mutare non poſſe, certum eſt, quod multò magis procedit in remiſſione totali, & in iis pœnis quæ ultimū ſupplicium conjunctum habent; In iis verò quę corpus quidem affligunt, mortem tamen non inferunt, quin remiſſionem vel mitigationem talis Magiſtratus concedere poſſit, non dubitandum, in his enim ut & in pœnis civilibus, relegatione, carceratione, pecuniariâ pœnâ, ac in omnibus quæ arbitrariæ ſunt, mitigatio vel alteratio admittitur, *l.* 15. *ff. de neg. geſt. l.* 16. *ff. de pœn. l.* 34. *§.* 8. *ff. de jur. jur.* Carpzov. *d. q. num.* 75. *&* 85.

XVII. Ne tamen Superior, inconſulto planè animo ac temerario auſu, Clementiæ gloriam affectet, nudoq; voluntatis arbitrio ad laudabile hoc gratiæ genus proſiliat, perpenſo omnia judicio facere debet. *l.* 11. *ff de pœn.* Et generatim ita Jus Aggratiandi exercendum, ne juſtitia & gratia confundantur, Zepper. de Jur. Aggrat. *n.* 29. Hinc Principi in delictis, Lege Divina ſevere prohibitis, omnem remittendi vel mitigandi poteſtatem denegamus, veluti eſt homicidium, Adulterium, Blaſphemia, Sodomia &c. quia enim horum criminū Reos Jus Divinum morte punire jubet, ne quidem Summus Princeps hoc caſu mortis ſupplicium remittere poteſt. Quis enim inter Principes Religioſos dimittet Homicidam doloſum impunè, cum hic pœnam ab ipſo Deo, cui omnes populi omnes Principes ſubjecti, conſtitutā habeat;

habeat; Audi enim quisquis es Superior Deũ intonantem & imperative loquentem. 9.v.5.6. Wer Menschenblut vergeust / dessen Blut soll wieder vergossen werden; Et caveant sibi Principes ne in eandem pœnam Reo remissam incurrant. vid. 3.*Reg*.20.*v*.42. quo referri potest quod Henricus IV. Galliarum Rex roganti alicui veniã respondit: *Ie ne veux pas pour l'amour de vous charger sur moy ce malheureux Crime, dont il me faudroit un jour rendre compte devant Dieu. auteur d'utile & salut. advis. au Roy pag*.20. Imo & nominatim in hisce delictis misericordiæ species improbatur, Deut. 13. *v*. 8. *Hebr*. 10. *v*. 28.

XVIII. Hæc ita obtinent, quando nullæ circumstantiæ urgentes adsunt, quæ remissionem vel mitigationem suadeant: Etenim causæ interdum occurrere possunt, in quibus illud quod Lege Divina capitale est, ex circumstantiis, facto vel delicto accidentibus ita leve efficiatur, ut non nisi à sanguinario Dracone capitaliter puniatur. Zepper. *dict. tract. de Iur. Aggrat*. Dn. Carpzov. *d. quæst.*

XIX. Legibus tamen Mosaicis custodiendis adeò arcte non adstringimur, has enim (præter eas quæ à jure Divino non solum populo judaico, sed omnibus hominibus severissime constituta sunt, & vocantur leges morales) vel non attendere, vel ab iis in quibusdam saltem recedere licet. Si enim Principi pœnam ibidem jure Divino pecuniariam saltem, in capitalem mutare licet, quidni & eâ lege capitalem in mitiorem convertere permissum erit, id quod in pœna adulterii ubique vere practicari videmus, add. Bach. ad Treutl. *vol*. 2. *D*. 30. *th*. 3. *lit*. *G*. *in fin*. ad hæc facit respons. facult. Theol. in Salana: *anno* 1640. Referente Dn. Struv. in Syntag. Jur. Civ. Daß in eusserlichen Bestraffungen / dieser vnd anderer übelthaten / die Weltliche Obrigkeit / jhre gewisse / von

von Kayser Carolo V. und sonsten geordnete Gesätze/ und peinliche Halßgerichts-Ordnung habe / nach welcher Sie sich zurichten / Gewissens halben aber nicht verbunden sey/ nach denen im Gesätz Moisis dem Jüdischen Volck und Land gemachten Gesätzen præcisè und auffs aller genaueste/sich zu confirmiren und zurichten &c. Sed concesso, nullâ præcisâ necessitate Magistratum Christianum ad istarum LL. observantiam adstringi, recte tamen facturum Magistratum existimamus, si quam minimum ab hisce recesserit, præsertim iis, quæ communis etiam gentium ratio morte mulctari concernit, &ipsum Deum habeant autorem, qui errare non potest.

XX. Si quæ verò alia supersunt delicta quæ non natura, non lege Divina, sed humana atque Civili tantum pœnam statutam habent, ad ea facilius Jus Aggratiandi accedit, inque iis Princeps vel quilibet Superior clementiam suam remittendo vel mitigando pœnam ll. dictatam, tuto & absque animi periculo exercere potest, *l.4. in fin. l.31. pr. ff. de pœn.* Et maximè si talia sunt, quæ solùm contra Principis jus & personam ejus commissa sunt, *l. unic. C. si quis Imper. maled. l. 2. C. de reb. cred.* ut est *v. g.* in captura ferarum, contra severiorem Principis prohibitionem; Nulla enim Peccatorum venia laudabilior est, quam cum Princeps injurias sibi privatim illatas ignoscit, illud enim summam misericordiæ, clementiæ, & magnitudinis animi speciem redolet, ac laudem meretur, *d. l. unic.* Hinc Theodosius junior ab amicis interrogatus: Cur neminem eorum qui ipsum læsissent, capite plecteret? Respondisse fertur: Utinam mihi liceret & mortuos ad vitam revocare. Dn. Limn. *tom. 1. lib. 4. I. P. cap. 8. num.* 84.

Digitized by Google

XXI. Quod si tamen contra securitatem publicam, vel in Ipsius Reip. detrimentum scelus patratum sit, non nisi magna & prægnans causa Principem ad gratiam inducat, metuendum enim esset, ne hac impunitate fontibus sine magna causa concessa, graves populi de neglectu justitiæ, Princeps quærelas, in se exsuscitet, & tandem impotentes hominum animos adversus se, propriamque salutem, ad vindictam commoveat, ceu multos Principes eam ob causam, de medio sublatos esse testantur plurima exempla, passim in historiis obvia; Sic de Philippi Maced. Regis interitu commemorat autor *in supplem.* ad Q. Curt. *lib.* 1. *in fin.* Dn. Carpzov. *d. quæst. num.* 37.

XXII. Prout autem altera Aggratiandi species, ubi Superior non prorsus pœnam delinquenti remittit, sed eam in mitiorem aliamve corporis afflictivam aut etiam pecuniariam mulctam commutat, liberius procedit, & multifariæ ac infinitæ sint qualitates & circumstantiæ, quibus superior ad mitigationem commoveri queat, prout etiam facta & crimina varia sunt ac indefinita, Hinc innumeræ verè mitigandarum pœnarum causæ ab Interpp. ponuntur, quarum 64. refert Andr. Tiraquell. *in tract. de pœnis temperandis*, de quibus hic unam vel alteram saltem ob temporis angustiam apponere lubet.

XXIII. Prima Aggratiandi causa est Dignitas, ut sunt I. Nobiles, *cap. ult. extra de pœnis l. 6. pr. ad leg. jul. pecul. l. ult. ff. de incend. ruin. naufrag. arg. Recess. Imp. de anno* 1512. Nec obstat. *l.* 8. *c. de Episcop. & Cler.* Quod tamen limitandum eo casu, ubi Nobilitas aut Dignitas delicta augere solet, *l.* 14. *C. de pœn. l. 6. ff. de Re milit.* vel delictum [illegible]ret in contumeliam & dedecus dignitatis;

tis; aliâs si hæc duo absunt, nec qualitas delicti ex Nobilitate & dignitate incrementum accipiat, quoad pœnam corporalem, mitius cum Nobilibus & Clarissimis personis, quàm cum ignobilibus & plebeiis agendum; *l. 2. C. ut nemo privat.* Gail. 2. *obs.* 110. *num.* 45. ubi addit quoad pœnam pecuniariam Nobiles intensius, quam ignobiles plectendos esse. Dn. Naurath. *in annot. ad Zoës. in Cod. de pœn.* Andr. Tiraquell. *de pœn. mitig. caus.* 31. *& in tract. de Nobil. c.* 20. *n.* 108. *& seqq.* Prosper. Far. *quæst.* 98. *num.* 10. *& seqq.* Dissent. Dn. Carpzov. *pract. Crim. quæst.* 148. *num.* 32. *& seqq.*

XXIV. (II.) Ji qui in officio aliquo sunt constituti, est enim communis Dd. conclusio quod officium vel administratio minuat delictum. *l. 6. ff. de public. & vectigal.* Hinc quæri solet vulgo, quâ pœnâ sint afficiendi Officiales illi, quos nominamus: **Die Schösser / Verwalter / Vögte / Vorsteher / Baumeister / Rentmeister / Zölner / Förster / oder ein jeglicher anderer so zu einem Ampt verordnet.** Si circa officium sibi de mandatum delinquunt, vel negligendo, vel intercipiendo, aut in usum suum invertendo pecuniam, eorum fidei creditam? In quo opinionum conflictu, verior est illorum, qui pœnam non ordinariam furti, sed extraordinariam & ex arbitrio judicis dependentem infligendam putant, ubi omissis aliis rationibus ponderosis, hanc saltem (ut brevior sim) appono: Quia ejusmodi officiales pecuniam vel aliam rem, non apud Dominum & in ejus possessione & custodia adhuc existentem, sed penes se jam constitutam & collocatam occupant, & contrectant: Notum autem est, illum, qui rem apud Dominum adhuc existentem propria autoritate occupat, magis delinquere ratione scandali, quod ex tali facto ve-

 rosimi-

rosimiliter promanare potest, quàm si contrectet rem ratione negotii, sincere atque integrè contracti, apud se existentem, cum hoc casu non æque magna subsit scandali ratio; Et humaniter credi potest, & præsumi, quod officiales qui tractant pecunias Dominorum, non fecerint hoc animo intervertendi, si forte pecunia ipsi fuerint usi, quoniam non ipsam à subditis exactam, & illa ipsa corpora solvere necesse habent, sed satis est præstare tantundem; Et solent insuper personæ esse honoratiores cum quibus mitius agendum. add. Bach. ad Treutl. *vol.* 2. *Disp.* 30. *th.* 1. *lit. F.* Martin. Naurath. *annot. ad* Zoes. *in Cod. de Crim pecul.*

XXV. Præterea cum in æstimandis veris delictis, maximè considerandum sit, materiale, læsio scil. sive damnum, & formale vitiositas nimirum actus atque ἀνομία, nisi enim hæc accurate & conjunctim perpendas, æqualia delicta æstimabis, homicidium, *v. g.* dolosum & culposum, Vitiositas autem illa potissimum ponderanda venit ex agentis animo, an scil. dolo agat, an culpa, qui Dolus cum in multis personis ob imperfectum adhuc animum desit. Hinc (III.) iis qui sunt vel minoris, vel senilis ætatis in delictis maximè succurrendum: Mitius enim puniuntur minores. *l.* 7. *C. de pœn. l.* 23. *ff. de furtis. l.* 108. *de R. I.* Cum Juniores perfectum consilium & judicium non habeant, & quamvis doli sint capaces, non tamen tantus in iis est affectus, **P. H. O.** *art.* 160. ibi: **So der Dieb/ oder Diebin / ihres Alters unter 14. Jahre wehren / die sollen nicht vom Leben zum Tode gerichtet werden.** In quo tamen casu Judex in supplicio minori irrogando, potius secundum doli capacitatem quam numerum annorum sententiam ferre debet. Refert enim multum in definienda pubertate hominum

num ætates ab invicem diſtingui, & quo tempore quæque ætas incipiat, definiri. De qua re diverſimode docent Dd. *in l. 68. ff. ad leg. falcid.* quapropter certa ætatis Regula in hoc caſu poni non poteſt, ſed omnia ſapienti Judicis arbitrio relinquenda ſunt. add. Zoes, *ad. Cod. tit. de pœn.* Quid de infantibus infantiæque proximis dicendum explicat Dn. Carpzov. *quæſt.* 143. *n.* 9. *& ſeqq.* Sic pari jure gaudent ſeniles, quia hic cum Adoleſcentibus ratione defectus animi in pari habentur gradu, tum propter debilitatem Corporis, quæ pœnam corporis afflictivam iis graviorem facit, præſertim cum talis ſit ætas, quæ vere ſenſum aufert, *l. 2. ff. de termin. moto. l. 3. §. ignoſcitur ad Syllan. l. 6. pr. ad leg. jul. pecul.* Gail. 2, *obſ.* 110. *n.* 31. *& ſeq.* à quo vero tempore ſenes dicantur, arbitrio judicis rectius relinquitur, quam ut certum aliquid hic ſtatuatur, niſi ſit ſeptuagenarius, qui abſque omni dubio & ſemper pro ſene habendus.

XXVI. Ex quo animi defectu locum facit veniæ Furor, qui delinquentem à pœna plane facit immunem, non enim videtur delinquere, qui rationis uſu caret, *l. 12. ad leg. Cornel. de ſicar. l. 9. §. 2. ff. ad leg. pomp. de parricid. l. 14. ff. de offic. proconſ. l 3. §. 1. ff. de injur. l. ult. in fin. de adminiſtr. tut. l. 40. de R. I. l 5. §. 2. ad leg. aquil.* fati enim infelicitas eum excuſat; Et hoc de furioſis reverâ; Cum tamen gradus furoris atque dementiæ dentur, nec omnes fatui intellectu careant, licet quandoque obtuſior & ſtupidior mens exiſtat, quos groſſos Dd. appellitant, ideò Judex arbitrium ſuum temperare debet, ut intelligat, quomodo, quæ de vere furioſis & inſanis dicta ſunt, ad hos etiam accommodet, ut proinde hac in re multum arbitrio judicis ſit tribuendum, qui ex ratione & augmento furoris judicium ſuum in-

 for-

formare, sententiam ferre, Reosque punire vel absolvere potest. Ord. Crim. Carol. V. *art.* 179. ibi: **Würde von jemand/der Jugend oder ander Gebrächlichkeit halben/wissentlich seine Sinne nicht hätte/eine Ubelthat begangen/daß soll mit allen umbständen an den Orthen und Enden/wie zu ende dieser unser Ordnung angezeiget/gelangen/und nach Rath derselben/und anderer Verständigen/darinnen gehandelt/oder gestraffet werden/** add. Gail. 2. *obs.* 110. *num.* 22. Zoes. ad Cod. *tit. de pœn. quæst.* 7. *& seqq.*

XXVII. Quibus proxima est Melancholia, quia ratione imperfecte utuntur illi homines; ab omni tamen pœna neutiquam eximi possunt, etsi enim tristitia multum eos afficiat, eorumque animos perturbet, attamen totam mentis alienationem non inducit, hinc ab ordinaria saltem pœna in Criminibus excusationem aliquam præbere, vult. Claud. Bertazz. Dn. Carpzov. *d. quæst.* 145. *n.* 61. Item Dormientes, qui nocturnis obambulationibus in somno delinquunt. *arg. l.* 1. *§.* 3. *ff. de A. P.* quo tamen casu dist. Gail. 2. *obs.* 110. *num.* 30. Bach. *vol.* 2. *Disp.* 32. *th.* 6. *lit. d. e.* An huc referendus sit æstus amoris? quod affirmandum, secundum communem opinionem, est enim furoris species, & Propert. *lib.* 2. *Elegiar.* dicit: *sine sensu vivere amantes* add. iterum Gail. *d. obs. n.* 23. Bach. *eod.* An Ebrietas? Jlla scil. quæ mentis alienationem inducit. *l.* 6. *§.* 7. *ff. de Re milit.* est enim in ebriis aliqua parte & noluntas, & ignorantia (quamvis inebriari per se sit actus voluntatis) quod utrumque debet esse mitigandæ pœnæ, nec in obfuscato per vinum judicio verus dolus & propositum esse potest, quapropter impetu magis quam dolo eos peccare constat, *arg. l.* 2. 3. *C. ad leg.* Cornel. de Sicar. *l. unic. C. quando lic.*

Bach.

Bach. ad Treutl. *vol.* 1. *D.* 6. *th.* 5. *lit. a. & vol.* 2. *D.*30. *th.* 6. *lit. a.* Gail. & Bach. *supra alleg. loc.* An Calor iracundiæ? Affirm. eo casu, quo vel ira ex justa causa atque dolore provenit, vel delinquens iratus à mente plane fuerit alienatus, Auß einem übermässigem Zorn / difficilimum enim est justum animi dolorem temperare; *arg. l.* 38. §. 8. *ad leg. jul. de adult.* R. I. Maxim. 1. *Wormatiæ. an.* 1495. *sub tit.* Die Poen derer so auß Hitz oder Zorn schweren. Dn. Carpzov. *part.* 1. *prax. Crim. quæst.* 6. *num.* 15. 16. Hinc invasus etiamsi limites moderaminis inculpatæ tutelæ excesserit, tamen non nisi extra ordinem pro judicis arbitrio punitur, Dn. Carpzov. *part.* 1, *quæst.* 28. 29. 30. 31. ubi multa tractat. Huc refer casum, quo per lasciviam quis mortis causam præbuit, puta per jocum. Wenn ihrer etliche mit einander gescherzet. *l.* 4. §. 1. *ad leg.* Cornel. de Sicar. ubi talis temporali exilio punitur, vide plura de hoc casu in Wehnero *in thesaur. pract. verbo* Todschlag.

XXIIX. Faciunt (IV.) Mitigationi locum Bene merita Delinquentiũ de Principe, vel Republica, Item Rei militaris maxime gnari, Gail 2. *obs.* 110. *n.* 41. Quandoque etiam singularis peritia delinquentis, si insigni instructus est arte. Cujus causæ fundamentum ponunt, *in l. ad bestias* 31. *ff. de pœn.* (quam legem primum Azonem adduxisse refert, Alciat. *lib.* 9. *parergon. cap. ult.* qui, cum propter homicidium plectendus, jam ad judicium deduceretur, exclamavit ad bestias ad bestias, quo clamore iram judicum, ab eo deludi existimantium ad necem usque concitaverit) hanc tamen Remissionem, vel mitigationem, non nisi à Principe concedendam esse tradunt Dd. qui hanc suam assertionem ad voluntatem Principis restringunt, ita ut Judex inferior

inferior ex sua ordinaria facultate, ex hac causa pœnam delinquentibus condonare, aut minuere non possit, nisi sit loco Principis aut Princeps consentiat. Pro qua sententia judicarunt Scabini Lipsienses M. *Novemb. anno* 1586. **So viel die in Eurer Frage vnd deß Gefangenen Freunden Schreiben / angezogene Vrsachen anlangt / als nemblich / daß der Gefangene ein kunstreicher Meister sein soll / stehet es bey der hohen Obrigkeit / ob Sie in ansehung deßen / jhme Gnade erzeigen / vnd die Straff deß Strangs lindern wolle.** Farin. prax. Crim. *p.* 3. *quæst.* 98. *n.* 134. Bocer. *tract. de Furt. cap.* 1. *n.* 119. Dn. Carpzov. prax. Crim. *quæst.* 149. *p.* 3. *in fin.* Aut interdum Tempora in infligendis & mitigandis pœnis considerantur. Fur enim qui tempore famis edulia rapit, à pœna si non omni ordinaria, tamen à Corporis inflictiva excusatur, ubi tamen, ut quidam volunt, famis necessitas præcisa & extrema non requiritur. add. Bach. ad Treutl. *vol.* 2. *Disp.* 30. *th.* 3. *lit. h. vid.* **P. H. O.** *art.* 166. **Sollen abermahls.**

XXIX. Sic (V.) Reip. nonnunquam interest, si simul deliquerunt multi, à paucissimis justas sumere pœnas, reliquos verò aut impune dimittere, vel saltem ordinariam in extraordinariam & leviorem pœnam commutare, *l.* 1. *C. ad leg. jul. repet.* Quæ remissio vocatur à Seneca *de Ira* 2. 10. *pr. Venia Necessaria*; Est enim quandoque ea temporum conditio, isque Rerum Status, ut nemo sit exasperandus, sunt enim ita exigendæ pœnæ, ut præveniantur motus, qui facile ex multitudine peccantium exoriri possunt; præveniuntur autem illi, si in noxiorum multitudine dimissa magna manu corruptorum quidam, si ex corruptis corruptissimi puniantur, si denique cum pœna paucorum, quæ necessaria

ſaria eſt, metus omnium, ne deſit exemplum, & tamen impunitas quoque ne excitentur motus, conjungantur. Boxhorn. Disquiſit. polit. *caſ.* 25.

XXX. Sunt & (VI.) Extra reſpectum perſonarum delinquentium aliquæ quædam cauſæ, ob quas delinquentes remiſſione fruuntur, & ſolent hodienum multis in locis exerceri: ſunt autem plerumque hæ, Feſtivitas nimirum & Lætitia Principis in Die matrimonii, Nova in Regno ſucceſſio, Natalitia ſive propria, ſive junioris Principis, vid. exempl. Pharaonis Geneſ. 40. verſ. 20. Item Victoria aut ingreſſus in Urbem, vel ubi Triumphus celebratur. *l. ult. C. de General. abolit.* Ludov. Molina. Jeſuita *de j. & j. tract.* 3. *Diſp.* 48. *num.* 1. Gratia delinquentis, quâ pollet apud Magnates, Zepper. *tract. de jur. aggrat.* Interceſſio apud Superiorem. Occaſione cujus hic de illo caſu quæri poteſt: An ad interceſſionem puellæ, condemnatum in Matrimonium petentis, venia ei ſit tribuenda? Et quamvis hic pœnæ tollendæ modus nullibi in legibus ſit expreſſus, quare nec præter juris autoritatẽ introducendus, præſertim haud absque gravi Reip. præjudicio, rectius tamen arbitrio judicis relinquitur, quando ad interceſſionem puellæ venia condemnata ſit tribuenda, etenim ſi honeſta puella miſericordia permota & amore languida petat delinquentem, ut ipſi nubere liceat, durum admodum eſſet, hoc ei denegare. Quin, & aliæ circumſtantiæ concurrere poſſunt, quæ hoc caſu, judicem, ad ſententiam benigniorem commovere debeant. Dn. Carpzov. *d. q. n.* 53. *ubi* pro hac opinione quædam præjudicia adducit.

XXXI. Quid de inſolenti illo & inopinato caſu, ubi Fur rupto laqueo ad terram ſalvus deciderit, dicen-

dum ſit, hic deducere tempus vetat; Conſideratis tamen circumſtantiis & ubi dolus Carnificis argui non poteſt, quin veniæ locus eſſe poſſit, non dubitandum, *arg. l.* 64. *de* R.I. Jlla enim ratio parum urget, quam de hac quæſtione movent Bocerus & Treutl. quod nimirum ſententia illa: **Daß N. mit dem Strang vom Leben zum Tod zu richten sey.** cum effectu ſit accipienda, quoniam ea non aliter fieri poteſt, niſi manifeſtam judicis injuriam arguere velimus, neque tamen ratio illa impedire poteſt, quo minus ex hypotheſi cujusdam miraculi, non quidem plane liberetur Reus, ſed executio interim differatur, Reo in carcerem recepto. Bach. ad Treutl. *vol.* 2. *Diſp.* 20. *theſ.* 3. *lit. G.* Bronchorſt. *ad R. l.* 64.

XXXII. Ut vero Principi de cauſis Juris Aggratiandi inductivis plene conſtare poſſit, à parte petentis factum cum omnibus ſuis cauſis, circumſtantiis, & qualitatibus, fideliter narrari debet, nullis omiſſis vel falſis additis, ne alias remiſſionis impetratio pro ſubet obreptitia habeatur. Unde reſcriptum gratiæ, ex ſub- et obreptione impetratum vitiat gratiam, nec Reum quicquam juvat, hinc reſcriptum tale productum probari debet à producente, quod, quibus modis fiat videre eſt ap. Joſeph. Maſcard. *de probat. concluſ.* 845. An autem cauſa mitigationis exprimi debeat in ſententia quæritur? Nos putamus ſufficere cauſam in ſententia expreſſam eſſe in genere, (*ut puta, juſtis de cauſis animum noſtrum moventibus*) licet non ratio cauſæ verbis exprimatur, cauſæ enim expreſſio ſolum requiritur ad executionem Judicis, ne de Syndicatu conveniatur, non ad ſententiæ validitatem & ſubſtantiam. Dn. Carpzov. *quæſt. Crim.* 142. *num. ult.*

Digitized by Google

XXXIII. Effectus impetratæ legitimè gratiæ hic eft; Ut vel in totum, vel pro parte, juxta modum impetratæ gratiæ à pœna publica liberetur; *l.* 3. *C. de General. abolit.* Nec obtentâ femel fine vitio gratiâ in dubium revocari, aut impetrans ulterius moleftari poffit, & objiciens Crimen à Principe remiffum, injuriarum tenetur. *arg. l. unic. C. de famof. libell.* Hinc an bona, honores, & in univerfum priorem Statum recuperet Reus, ex tenore fententiæ colligendum eft, fi enim per indulgentiam Principis extra ordinem veniam confequutus eft Reus, tunc perfona faltem ejus à pœna libera eft æftimata, nec dignitas, bona, & reliqua jura funt reftituta, *l.* 2. 4. 5. 6. 7. *C. de fentent. paff. & reftit.* Cujus generis reftitutionem vocant *Generalem*, quæ nihil aliud continet quam quod expreffum, *l.* 6. *C. d. t.* Gail. de PP. *cap. ult. num.* 8. Zoes. 48. *ff.* 23. *num.* 6 Secus fi per omnia à Principe eft reftitutus, quo cafu tantum reddit indulgentia, quantum abftulit condemnatio; Quæ tamen de bonis hic dicta funt, hodie amplius non obtinent, cum ea non fifco fed defcendentibus & adfcendentibus ad tertium usque gradum ex Nov. 134. *cap. ult.* Imò juxta jus quod tempore *Irnerij* obtinuit etiam Collateralibus ad eundẽ gradum fi fuperfint applicentur. *auth. Bona damnat. C. de bon. profcript.* excepto cafu, ubi ob delictum bona adhuc confifcari permiffum eft; ut eft in Crimine læfæ Majeft. quem unicum faltem cafum, in quo confifcatio bonorum hodie locum habeat, agnofcimus. *d. auth.* Nec obftant. verba **Der P. H. O.** *art.* 218. **Außerhalb deß Lafters unſer beleydigten Mayeſtät/ oder ſonſt in andern fällen.** Quo cafu delenda eft particula, (vel;) ut hic fit fenfus: quod extra læfæ Majeft. Crimen in aliis cafibus atque delictis confifcatio bonorum cef-

 fet,

Digitized by Google

ſet, prout hæc verba explicat Georg. Rem. *in nemeſ. Karul.*

XXXIV. Cum tamen hodie plerisque in locis eo deventum ſit, ut publicatio hæc bonorum ſola & principaliter loco pœnæ imponatur, & optimus jurisdictionis cenſeatur fructus, ut etiam Criminaliſtæ de ea lætentur, & impie dicant: **Es haben dieses Jahr über die Brüche oder Geltbußen** (quo vocab. etiam bonorum publicatio intelligitur) **GOtt sey lob/ ein ehrliches eingetragen**; Quæritur an per omnia à Principe reſtitutus recuperet etiam bona interea à Principe alienata? Quod hic negandum, ex ratione, quia Princeps non præſumitur, jus alteri ex contractu venditionis aut donationis quæſitum, auferre velle. Nec debet principale beneficium aliis officere, & jus quæſitum alicui eripi; Quod limitand. Niſi reſtitutio facta ſit diſertis verbis etiam quoad bona alienata, maxime ex cauſa publicæ pacis, quo caſu communiter receptum eſt, jus alteri quæſitum tolli poſſe. *l.* 11. *ff. de Evict. l.* 15. *ff. de R. V.* etſi in dubio, id non cenſeatur facere. Zoes. *d. l. n.* 7. Gail. 2. *obſ. de* PP. *cap. ult. num.* 24. Ubi de bonis abſolutorum à banno pleniſſimè tractat, Idem dicendum de fructibus ex bonis propter delictum confiſcatis medio tempore perceptis, *arg. auth. idem de Neſtorianis. C. de Haret. l.* 22. *C. de R. V.* Fachin. 1. *controv.* 38. Naurath. ad Zoes. *d. t.* Reſtitutum tamen extantes adhuc, id eſt, nondum conſumtos, *d. l.* 22. officio Judicis repetere poſſe tradit. Gail. *d. l. num.* 30.

XXXV. Hoc certum eſt quod gratia à Principe facta non perimat actionem Civilem, aliis ex delicto competentem, *l.* 9. *C. de ad leg. Cornel. de fals. l. pen. C. de Calumniat.* Nec facienda ea eſt in præjudicium tertii, qui

juste suum interesse prosequitur, aut damnum resarciri postulat, ex quovis Crimine causatum, ad quod ei jus est quæsitum, quod illi eripi per Principem non potest sine magna injustitia, est enim in casu, quo facta est gratia, ea stricte intelligenda, unde concessa à Principe, illa accipienda quoad pœnam corporalem, vel pecuniariam fisco debitam, non etiam extendetur ad interesse alterius, nisi causa major, id est, publica postulet. Quod si pars durior reconciliationem non admittat, aut gravius æquo interesse petat, potest illi Princeps modum ponere: Zoes. 48. *ff* 23. *num*. 34.

Hæc sunt, Amice Lector, *quæ ex Gallia reversus, de hac materia congerere volui. Quicquid hic habes, à festinante calamo profectum est, totus enim in eo sum, ut maturem iter ad Patriam.* DEO pro concessa gratia sit Laus & Gloria.

COROLLARIA.

JUramentum Davidis Semeio præstitum, quo impunitatem & vitam ipsi promisit 2.Sam.19 *per contrarium filio suo Salomoni præceptum, cum aliis in articulo mortis datũ, de non impunitum eum relinquendo, sed maledictionem potius ulciscendo quo de* 1.Reg 2. *violatum non fuit.*

Infringens alicui colaphum manu contracta, vel pugno, Mit voller Faust / *si percussus inde moriatur, consideratis circumstantiis, ab ordinaria homicidii pœna immunis haud est; Secus si hoc factum manu vacua:* Mit flacher Hand.

An dubitans usucapere possit. Dist.

Feudum emptum est feudum proprium, ideoque ob deteriorationem amittitur.

L.45. ff. *de Usuris non pugnat, cum* l. 48. ff. de A. R. D.

Ad

Ad Illustrissimum
Comitem ac Dominum,
DN. JOHANNEM,
Nassoviæ, Saarbrucci, & Saarwerdæ Comitem, Dominum Wisbadenæ & Jtzsteinij. &c.
Dominum meum Clementissimum.

JOHANNES REBHAN, D. COM. P. CÆS.
Coll. Jurid. Senior, Antecess. Ordinar.


SI memor ulterius, *Comes Illustrißime*, nostri,
legas benignè hæc paucula:
Atque, rogo, credas, quod Te pietate Tuosque
adhuc ut olim percolam:
Nilque magis doleam, quàm quod præstare nequivi,
quæ mens mea exoptaverat.
Arripio idcirco, quæ mî concessa facultas,
occasioque commoda,
Absens versandi Tecum: commendo Tibimet,
Celsißime, hunc civem Tuum.
Ornant namque sagax istum *solertia*, docta
legum scientia, *& fides.*
Ergò submissè precor, ut digneris eundem
Clemens Tuamet gratia.
Officiis nam credendis fidum ipse videbis
Tibi, Tuæque familiæ:
Cujus prosperitas infinita, atque perennis
Felicitas, votum meum.

Scrib. Argentinæ. 8. Octob.
A. O. R. CIↃ IↃC LXIIX.

Ad Nobilissimum Dominum Doctorandum, Amicum certissimum.

PRæmia digna capis, cathedram dum scandis honoram:
Sed majora Tibi conferat Aula. Vovet.

Iohannes Nicol. Erhart/ *I. U. D.*



SUnt, quos illecebris maculosam ducere vitam
Adjuvat, & tempus fallere suave mero.
Sunt, qui divitiis inhiant, turpique lucello,
Et quæ præterea mobile Vulgus amat.
Ast tua TU studiis tribuisti tempora honestis
Jure tuô idcirco, præmia laudis habes.
Non TE retraxit labor improbus, ægraque cura,
Quin potiùs *forti* nisus es *ire pede.*
Namque tui studii monstrat jam publica nobis
Scriptio docta satis, scriptio rara satis.
Ergo præsentem meritò TIBI grator honorem,
Det DEUS id laudi serviat omne Suæ.
Ah quoties NOBIS TECUM tractata subibunt,
Et data jucundis tempora multa Jocis.
Sed quia fata volunt faustô nunc omine cede,
Collegiique TUI Vive Valeque memor.
Vive, Vale, mundo perge in clarescere, Amice
Vive, sed ut possis vivere ritè. VALE.

Sic Nobilissimo & Clarissimo DN. Candidato Amico intimo, fratrisque locô colendo, cujus fidem & sinceram amicitiam peregrinis quoq; in terris satis expertus est gratulatur

GUILHELM-LUDOVICUS Daser.
LL. Cult.

Scriptum Villæ in Valle S. Gregorij
Die 8. Octob. S. N. 1668.

AFferrem, quicquid *Musæ* liquêre, libenter,
Lingua modo meritis Versibus apta fiet.
Hisce fave paucis, & me connumera amicis
Et bene vive *Patris*; Spesque Decusque *Tuis*
Donec te canum videat, vel Nestoris ætas
Donec in æterna Pace beatus agas.

Hæc Nobilissimo Domino Candidato, Agnato suo Dilectissimo, in debitæ paratæq; observantiæ signum apponere non tam voluit quam debuit

Georgius Albertus Fischerus,
LL. Stud.

FINIS.



ANT 121.963 L